



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

cxxiv [i.e. xiv]. Idem potest agere in seipsu[m]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

actio non hic, sed in spatio B, ubi est passum, cum quo unitur actio, veluti cum suo subiecto inhaesionis, à quo separata educi nequit, etsi ex eo ab agente distante educi possit; sicquè adhuc in quocunquè loco causa agit effectum, ibi existit formaliter agens effectum, id est, existit actio, perquam formaliter denominatur agens effectum, etsi in eodem loco entitas causæ non existat. Nec obstat, quòd agens non possit agere in tempore, in quo non existit, quia quod non est in hoc tempore, absolutè non est, adeoque caret fundamento actionis, quod est existentia; quod verò in hoc loco non est, non absolutè non est, adeoque retinet fundamentum actionis. Nequè obstat, quòd potentia v. g. visiva non possit versari extra suam sphaeram seu objectum adæquatum, quod est lux & color; id enim accidit ex defectu virtutis intrinsecæ, & quia ad versandum extra suum objectum, ne quidem habet virtutem inchoatam.

XIV. Ut agens agat, necessarium non est, ut distinguatur à passio tanquam suppositum à supposito, vel tanquam pars à parte; dum enim anima vel Angelus producit suas intellectio-

lectiones, dum eadem pars aquæ reducit se ad suum frigus &c. idem suppositum, imò eadem pars est principium efficiens & recipiens seu passum. Non potest tamen idem in seipsum agere actione univoca perfectiva; aliàs enim calor ut duo posset seipsum intendere, educendo ex eadem parte subjecti, in quo ipse subjectatur, & adjiciendo sibi duos gradus caloris; dum autem forma producit in sua materia formam vel dispositionem sibi contrariam, agit quidem in se ipsam actione destructiva, sed non actione univoca, utpote per quam non producitur effectus ejusdem rationis cum principio producente, sicut & idem agit in seipsum secundum diversas partes actione destructiva æquivoca, dum anima præter intentionem v. g. in diversis corporis partibus producit qualitates diversas, absquè justo temperamento, adeoquè destructivas viventis.

XV. Potest agens agere in passum sibi simile in specie, dissimile tamen gradualiter, v. g. calidum ut sex in calidum ut duo, intendendo ejus calorem (quæ actio num sit æquivoca, inde pendet, num gradus intentionis sint heterogenei, & num actio produ-  
ctiva